

Item Demones assilentes energumenis, cognoscunt imperia mentalia quae Exorcista illis imponunt, v. g. quod exhibent reverentiam erga talem rem sacram: Ergo Angeli possunt naturaliter cogitationes cordium cognoscere.

116 Respondeo Demones interdum revelare aliquas cogitationes cordis humani, non quod eas certo intelligant, sed quia ex immutatione interna temperamenti corporali, vel ex quibusdam externis indicibus illas explorant, & conjecturaliter cognoscunt. Nam ut recte ait D. Thomas hic art. 4. possunt Demones per indicia externa, vel pulsam, immutationem vultus, & alias corporis affectiones, deprehendere affectus mentis: quod & medici faciunt, sed illi eo melius, quo subtilitas huiusmodi mutationes corporales advertunt & expendunt. Idem docet Cassianus Collat. 7. cap. 15. his verbis: Nihil dubium est, quod possit spiritus inhumani cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indicia eas sensibilibus fortiter colligentes: id est ex non sensu dispositionibus aut verbis, ac sensibus in qua propostus confixerit nos inclinari. Ceterum illas, quae nec animi de terminis animi praedictis, adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes quas ingerunt, arum susceptas, vel quemadmodum suscipere sint, non per ipsius animi naturam, id est per illum interiorum motum, qui in aditu eius absconditur, & ut manifestus ad nihil exprimat, in medullis, ut in aliorum, sed in latitantibus: sed ex motibus atque indicibus exterioribus hominis deprehenduntur: cum hoc a prudentibus quoque viris sapienter fieri videamus, ut scilicet interioris hominis statum, de figura & vultu, seu qualitate exterioris agnoscant: Possunt etiam demones naturaliter cognoscere imperia Exorcistarum sola mente concepta: quia eo ipso quod talia imperia mentaliter ad eos diriguntur, non manent amplius occulta, sed per talem directionem & ordinationem eis revelantur & manifestantur, ut patebit infra disp. 3. art. 3. cum agemus de locutione & illuminatione Angelorum.

117 Obiectis tertio: Angelus potest cognoscere naturaliter quicquid continetur intra obiectum proportionatum sui intellectus: Sed actus liberi continentur intra obiectum proportionatum intellectus angelici: Ergo ab Angelo naturaliter cognosci possunt. Major patet, Minor vero suadet. Omnis entitas naturalis continetur intra obiectum proportionatum intellectus angelici: Sed actus liberi ad ordinem naturalem pertinent, cum non sint supernaturales, ut supponitur: Ergo continentur intra obiectum proportionatum intellectus angelici.

118 Respondeo negando Minorem: ad cuius probationem, distinguo Majorem. Omnis entitas naturalis continetur intra obiectum proportionatum intellectus angelici, entitas pertinet ad ordinem physicum, concedo Majorem: pertinet ad ordinem moralem; nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: actus liberi pertinent ad ordinem naturalem, moralem, & consequentiam. Solutio patet ex supra dictis: obiectum enim proportionatum intellectus angelici est illud tantum, quod pertinet ad hoc universum, & cum eo connexionem habet: ea autem quae ad lineam moralem & liberam pertinent, sunt extra hoc universum, & a solo Deo, & est supra totum universum, dependet, ut antea exposuimus, subindeque non pertinet ad obiectum proportionatum intellectus angelici.

119 Dicat cum Scoto: Duo obiecta eisdem naturae sunt duabus mentibus etiam eisdem spei & naturae aequae proportionata aut disproportionata: Sed cogitatio cordis unius Angelii, puta Michaelis, & cogitatio Gabrielis, sunt duo obiecta eisdem naturae, & mens Gabrielis ac mens Michaelis sunt eisdem speciei: Ergo cogitatio quae est in corde Gabrielis, est naturaliter aequae proportionata Michaeli, ut eam cognoscat, ac Gabrielis ipsi, qui eam videt in corde suo.

120 Respondeo cum eadem distinctione: Duo obiecta pertinentia ad ordinem physicum, concedo Majorem; pertinentia ad ordinem moralem, nego Majorem. Ea enim quae pertinent ad ordinem moralem & liberum, pendunt scilicet a voluntate a qua procedunt, & ab eo cui subiacet talis voluntas, & qui ipsi illi ac in ea operari potest: subindeque cogitatio a Gabriele elicitur, nisi solum est proportionata ut naturaliter eam cognoscat, & Deo, qui solus menti humanae & angelicae illi potest, & in illis operari. Unde S. Thomas in commentario prime Epistolae ad Corinthios, explicans illa verba c. 2. Quis hominum scit quae sunt hominis? nisi spiritus hominis qui in ipso est? sic habet: Neque Angelus bonus, neque malus ea quae in corde hominis latent scire potest, nisi per aliquos effectus manifestentur. Cuius rei ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit spiritum hominis ideo cognoscere quae in corde hominis latent, quia spiritus hominis est in homine: Angelus autem, neque bonus, neque malus illabitur menti humanae, ut in ipso corde hominis sit, & intrinsecus operetur, sed solius Dei hoc proprium est: unde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis, secundum illud Job 16. Ecce in caelo testis meus, & conscius meus in excelsis.

121 Obiectis quarto: Si Angelus superior non cognoscat cogitationes inferioris, nisi dependenter a revelatione seu manifestatione sibi facta ab ipso Angelo inferiori, sequitur quod Angelus inferior illuminet superiores, cum manifestatio cuilibet veritatis ignota, sit quaedam illuminatio: Sed hoc repugnat ordini hierarchico, & doctrinae D. Thomae infra qu. 107. art. 2. Ergo & illud.

Respondeo negando sequelam Majoris: Licet enim Angelus inferior, dirigens suam cogitationem ad superiorem, ei loquatur, non tamen ipsam illuminat: quia ut docet D. Thomas loco citato, & 2. qu. 181. art. 4. ad 2. nec non qu. 9. de verit. art. 5. ad 6. plus requiritur ad illuminationem, quam ad locutionem: est enim illuminatio manifestatio veritatis superiori modo cognita, dispondo illam pro captu inferiorum: locutio autem est sola ordinatio unius conceptus Angeli ad alium; quae ordinatione posita, tollitur ratio secreti illius, & ab eo cognoscitur; unde convenit Angelis inferioribus respectu superiorum.

Ex dictis facile haberi potest solutio alterius difficultatis in titulo propositae, an scilicet Angeli mysteria gratiae naturaliter cognoscere possint? Si enim Angelus non potest naturaliter cognoscere cogitationes alterius Angeli ex eius voluntate dependentes, multo minus potest cognoscere ea quae ex se ipsa Dei voluntate dependent, qualia sunt mysteria gratiae. Unde sic argumentatur Apostolus 1. ad Corinth. 2. Quae sunt hominis novo novis nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quae sunt Dei nemo novit nisi spiritus Dei.

Confirmari potest haec ratio, ex eo quod mysteria gratiae sunt improporionata propter supernaturalitatem: cuiuslibet intellectus creato: Ergo non possunt ab ipso cognosci, nisi lumine supernaturali illustrentur & elevetur; ut fuso ostendimus in materia de Incarnatione disp. 2. art. 5. quando inquiremus, an mysterium illud naturali lumine ab intellectu humano vel angelico cognoscibile sit?

Quaerunt hic aliqui, quae mysteria supernaturalia Angelis per fidem in via cognoverint?

Breviter respondeo, Angelos per fidem in via cognovisse Deum esse Trinum, Auctorem gratiae, & Finem ultimum supernaturalium: quia creati sunt, ut tenderent propriis actibus in talem finem supernaturalem; quod non poterant facere nisi illum cognoscerent. Quantum vero ad mysterium Incarnationis, illud cognoverunt quoad substantiam, & quaedam etiam principales circumstantias, ut docet D. Thomas hic art. 5. ad 1. quia, inquit, hoc mysterium est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur. Addi potest, fuisse convenientissimum, ut tunc Angeli cognoscerent proprium caput: Christus autem est caput hominum & Angelorum, ut ait Apostolus ad Coloss. 2. Ergo &c. Quantum vero ad alias huius mysterii circumstantias, illas non cognoverunt in via per fidem, sed vel a principio sua beatitudinis in patria clare & intuitive eas viderunt in verbo; vel extra verbum, per speciales revelationes eis factas, de illis postea edociti sunt, secundum quod eorum officis congruebat, ut testatur Dionysius caput 7. de caelesti Hierarch. ubi haec scribit: Sacra scriptura inducit quasdam caelestes essentias ad ipsam Jesum questionem facientes, & addiscentes scientiam divinis operationis pro nobis, & Jesum eas sine modo docentem, ut patet Isaia 63. ubi quaerentibus Angelis: quis est iste qui venit de Edom? Respondit: Ego qui loquor iustitiam.

DISPUTATIO X.

De modo cognitionis Angelicae.

Ad Quaest. 58. S. Thomae.

Explicatis quidditate, medio & obiecto cognitionis angelicae: ad completam illius notitiam superest tantum exponere modum illius, & difficultates aliquas quae circa illum occurrunt, breviter solvere.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli semper sint in aliquo actu secundo intelligenti?

Supponimus tamquam certum, Ang. non debere semper actu cognoscere omnia obiecta quae possunt naturaliter intelligi, nulla enim est necessitas ob quam Ang. debeant semper esse in actuali consideratione rerum omnium naturalium. Hoc supposito, inquirimus, an saltem respectu aliquorum obiectorum semper debeant esse in actu secundo, & quoniam sint illa obiecta?

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

1 Dico primo, Ang. necessario seipsum in actu secundo semper cognoscere. Est contra Vasquez, Puteanum, & quosdam alios Recentiores. Est tamen D. Thomae q. 8. de verit. art. 6. ad 7. ubi ait: Intellectus Ang. non est in potentia respectu essentiae eius, sed respectu eius semper est in actu. Et 2. 14. ad 6. Mens Ang. semper se actualiter intelligit: quod ideo contingit, quia mens Ang. intelligit se per affectionem suam qua semper informatur. Quibus verbis conclusio nostram & docuit & probavit: Cum enim Ang. intelligat se per suam essentiam, ut speciem intelligibilem, & semper illam habeat praesentem, etaeque informatam, ut esse intelligibile; ut praedictis dispositione declaravimus, manifestum est, Ang. semper & necessario se ipsum actu intelligere.

2 Praeterea, ut discitur idem S. Doct. 2. cont. Gent. c. 97. Omnis substantia vivens habet aliquam operationem vitae in actu, quae inest ei semper & necessario, licet alia quandoque ei infine in potentia: sicut animalia semper nutriuntur, licet non semper sentiant: Substantiae autem separatae sunt substantiae viventes, nec habent aliam operationem vitae, nisi intelligere & velle: Oportet ergo quod semper & necessario sint actu intelligentes respectu alicujus obiecti, quod non potest esse aliud quam propria eorum substantia, quae est obiectum maxime eis connaturale & proportionatum.

3 Confirmatur: Omnis motus secundum naturam ordinem debet reduci in primum motum determinatum ab ipsa natura, qui sit causa ceterorum: unde in animalibus omnes motus vitales reducuntur in motum cordis, qui fuit quasi proprietarius a natura animalis, ipseque semper convenit, ut docet D. Thom. in opusculo de motu cordis: Ergo similiter omnis cognitio & volitio naturalis Ang. debet in cognitionem & dilectionem sui, tanquam in primam operationem ab ipsa natura determinatam & procedentem reduci.

4 Dico secundo, Ang. semper & necessario cognoscere Deum ut sui naturae auctorem. Ratio est, quia cum quilibet Ang. seipsum comprehendat, debet necessario cognoscere habitudinem & dependentiam quam habet respectu Dei: Sed haec dependentia cognosci non potest, nisi aliquo modo cognoscatur Deus: Ergo Angelus, semper & necessario Deum ut sui naturae auctorem cognoscit. Addo quod in illa Dei cognitione naturalis eius beatitudo consistit: beatitudo autem (ut docet Aristoteles 10. Ethicorum) non est secundum habitum, sed secundum actum: Ergo &c.

5 Dico tertio: Intelligentiae motrices eorum continuo eos intelligunt: eos enim movent effectus sui intellectus conceptione, ut supra in fine 5. disp. ex Aristotele & D. Thomae ostendimus. Angeli etiam custodes suos clientes, & quaecumque eorum cura commissa sunt, semper cognoscunt, quippe cum illis semper invigilent. Denique Demones semper suos cruciatus & aligationem ad ignem corporeum apprehendunt: torquentur enim cognitione suae poenae, & supplicii, a qua proinde nunquam eximuntur. Contra vero Angeli Beati semper sunt in actu respectu cognitionis & fruitionis Dei, & eorum quae vident in verbo: quia in hac visione beatitudo eorum consistit; beatitudo autem non consistit in habitu, sed in actu, ut ex Aristotele dicebamus: Ergo &c.

§. II.

Solvuntur objectiones.

6 Contra primam conclusionem obijci potest, quod nullum obiectum, praeter Deum clare visum, potest necessitate intellectum & voluntatem ad sui cognitionem & amorem: Ergo Angelus a propria substantia non potest ad sui cognitionem & amorem necessitari.

Sed facile respondetur, quod quamvis non necessitetur Angelus ad sui cognitionem & amorem, a propria substantia, tanquam ab obiecto, quia non habet omnimodam rationem boni: bene tamen tanquam a principio, in quantum cognitio propriae substantiae est proprietaria Angeli dimanans ab eius essentia: eo fere modo quo motus cordis fuit quasi proprietarius a natura animalis.

Obijciunt secundo quidam Recentiores: Non videtur esse impossibile quod se offerat intellectui Angeli aliquid obiectum, ita ipsam rationem ad sui cognitionem & admirationem, & ita adequate illum occupans, ut aliquo tempore sui immemor esse possit, & manere in sola illius obiecti contemplatione.

7 Respondeo hoc esse impossibile: Tum quia, ut iam dicebamus, cognitio sui fuit a substantia Angeli tanquam proprietaria, & est prima operatio vitalis ipsius. Tum etiam quia substantia Angeli semper ejus intellectum per modum speciei intelligibiliter informat: Unde sicut si species alicujus obiecti pupillam oculi naturaliter afficeret, ab eius visione non posset oculus desistere; quantumcumque aliud obiectum excellens illis offerretur: ita pariter non

potest aliquod obiectum, quantumcumque excellens & perfectum, ad sui cognitionem & admirationem Angelum sic rapere, ut illum distrahat a propriae substantiae cognitione.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus possit multa simul intelligere?

Pro resolutione huius difficultatis observandum est, quod duobus modis multa simul posse intelligi, nimirum vel ut multa sunt, vel ut sunt unum. Intelliguntur ut multa, quando se intelliguntur ut non habeant ordinem ad aliquod unum intelligibile: ut unum vero, quando intelliguntur ut ordinata ad unum intelligibile. Hoc praemissis, fit.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico igitur, nec Angelum, nec hominem posse plura 8 per modum plurium intelligere, bene tamen per modum unius. Est contra Molinam, Vasquez, Suarez, & alios Recentiores. Est tamen D. Thomae hic art. 2. ubi sic habet: multa secundum quod sunt distincta non possunt simul intelligi, sed secundum quod univocantur in uno intelligibili, sic simul intelliguntur. Idem docet Aristoteles 2. Topic. c. 4. loco 38. his verbis: Contingit plura scire, cogitare autem non: per scire autem intelligit scientiam & cognitionem habitualem, & per cogitare, cognitionem actualem. Unde Sueffanus ibi ait: Scimus enim habitum uno fere inspicere, aut problemata, aut conclusiones: discimus autem & sermociamur de uno dumtaxat. Et Aphrodisius: Omnis, inquit, qui intelligit, unum aliquod, intelligit: ut enim possibile est plures orationes simul dici, sic etiam intelligi simul plura, nam intellectus est quaedam, oratio ipsius animae quae dicit in seipso.

Ratio etiam id suadet: Nam si intellectus plura ut plura simul intelligeret, vel unico actu, vel pluribus ea cognosceret: Neutrum utriusque potest: Ergo &c. Major patet, Minor vero quoad utramque partem suadet. Et in primis quod plura ut plura non possunt unico actu simul intelligi, videtur manifestum: Nam ut ait D. Thom. art. 2. sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini: ita ad unitatem operationis requiritur unitas obiecti: Sed plura ut plura non habent rationem unius obiecti: Ergo nequeunt simul per eundem actum cognosci.

Quod vero nec diversis actibus possint plura per modum plurium ab eodem homine vel Angelo simul cognosci, sic ostenditur. Quilibet intellectus est ultima actualitas respectu intellectus & speciei intelligibilis a quibus procedit: Sed non est possibile quod eadem potentia aut eadem forma sit simul terminata pluribus actualitatibus ultimis: Ergo repugnat quod intellectus humanus vel angelicus diversis actibus plura ut plura simul intelligat.

Major patet, Minor probatur. Nam generaliter loquendo quilibet potentia terminata actualitate ultima, ita expletur per illam, ut quamvis ea obiecta possit aliam recipere, non tamen simul cum praesentibus: propterea si quidem materia prima non potest recipere aliam formam substantialem simul remanente priori, quia cum ambe sint ultimae actualitates, prima actualitatem totam potentiam illius pro tempore quo est in materia, alioquin per illam esset & non esset ultimo actualata & terminata. Propterea etiam repugnat, quod eadem linea terminetur pluribus punctis, quod idem corpus secundum eandem sui partem, & pluribus diversis figuris sit figuratum, & sic de aliis.

Ex hoc probata manet secunda pars conclusionis: plura enim ut ordinata ad unum, possunt unica intelligentie intelligi, quia de formali sunt tantum unum, licet de materiali sint plura: Ergo intellectus humanus vel angelicus potest plura per modum unius intelligere. Haec conclusio magis constabit ex solutione argumentorum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primo, Cognoscere diversa obiecta per distinctos actus & diversas species, est plura ut plura cognoscere: Sed Angelus de facto diversa obiecta per distinctos actus & diversas species simul cognoscit; simul enim clare cognoscit Deum per essentiam divinam generentem vires speciei, & seipsum per propriam substantiam, & alia a se per species accidentales et insulas: Ergo plura ut plura simul intelligit.

Respondeo distinguendo Majorem: Cognoscere diversa obiecta per distinctos actus & species, nullam inter se habentes habitudinem & subordinationem, est plura ut plura cognoscere, concedo Majorem: per distinctas species & actus inter se subordinatos, nego Majorem: ut enim communiter dicitur, Ubi est unum proprium aliud, ibi est unum tantum: Ad Minorem similiter dicendum est, quod quando Ang. B. per essentiam divinam tanquam per speciem intelligunt Deum, & seipsos per propriam substantiam



tiam gerentem vires speciei, aliaque a se per species accidentales eis superadditas, tales intellectiones & species sunt inter se subordinatae; eo quod essentia divina per quam elicitur visio Beatrix est, eminentissima, continens in se quicquid perfectionis est in aliis formis intelligibilibus: unde omnes species Ang. inditae, & substantia illius, se habent ad essentiam divinam aliquo modo sicut species quaeque sensum externorum ad speciem sensus communis, cum qua non ponunt in numero, sed reputantur una species, quia illa representat alteri modo quiddam illa representant. Similiter etiam species inditae quodammodo subordinantur substantiae Ang. ut generis vicem species, quia haec est alio modo excellens respectu illarum, cum representat, confuse scilicet, omnia illarum objecta: unde essentia divina, potest esse ratio determinans ad usum aliarum specierum, & ad cognoscenda objecta per illas representata; & similiter propria substantia potest esse Ang. ratio intelligendi seipsam, & media sui cognitione, illum determinans & constituere in actu, ut possit uti qualibet specie inditae.

13 Haec doctrina & solutio sumitur ex D. Thom. q. 8. de verit. a. 14. ad 6. ubi sic ait: *Mens Ang. semper se actualiter intelligit, nec tamen cum mens Ang. quodammodo se intelligit & aliquid aliud, intelligit simul multa, nisi ut unum, quod sic patet: si enim aliquis duo ita se habeant quod unum sit ratio intelligendi aliud, unum eorum erit quasi formale, & aliud quasi materiale: & sic illa duo sunt unum intelligibile, cum ex forma & materia unum constituatur. Unde intellectus quando intelligit aliquid per alterum, intelligit tantum unum intelligibile, sicut patet in visu; tamen enim est quod videtur color, unde se habet ad colorem quasi formale, & sic color & lumen sunt unum tantum visibile, & simul a visu videtur: Essentia autem Ang. est ratio cognoscendi omne quod cognoscit, quoniam non perfecte, propter quod formis superadditis indiget: cognoscit enim omnia per modum substantiae suae, ut dicitur in libro de causis, secundum propriam virtutem & naturam, ut dicit Dionysius c. 7. de divinis nominibus, unde cum intelligit se & illa, non intelligit simul multa, nisi ut unum.*

14 Dices: Ang. movens caelum, seipsum intelligendo, simul caelum quod ab eo movetur intelligit, cum moveat illum per intellectum & voluntatem: Sed cognitio caeli moti ab Ang. nullam habet subordinationem ad cognitionem quam habet Ang. de seipso: Ergo Ang. potest cognoscere diversa objecta per actus distinctos, nullam inter se habentes habitudinem & subordinationem, subindeque plura ut plura simul intelligere.

15 Respondeo concessa Majori, negando Minorem: caelum enim & ejus motus pertinent quodammodo ad perfectionem Ang. ipsum movens, quodammodo ad perfectionem Ang. notitiam ordinatur. Idem dicendum est de cognitione eorum quae sunt commissa Ang. custodit: illa enim cognitio ad perfectam Ang. custodiam notitiam quodammodo pertinet, & per consequens facit quodammodo unum cum illa.

16 Obijcies secundo: Sensus tam externus quam internus cognoscit simul plura per modum plurimum: visus enim simul videt plures homines, plura animalia, plures arbores & alias res in prospectu positas; auditus etiam simul audit vocem loquentis, & sonum campanae; tactus quoque plures qualitates in eadem re simul percipit, nempe frigus, duritiam, aut molliem; & denique sensus communis objecta visus, auditus, tactus, & olfactus simul percipit: cur ergo hoc idem non tribuamus intellectui, qui multo perfectior facultas est, & maxime intellectui Angelico?

17 Respondeo primo, negando Antecedens: nam quando plura objecta a sensibus externis vel internis simul percipiuntur, non per modum plurimum, sed per modum unius cognoscuntur, quatenus scilicet unum objectum adaequatum & totale unius sensationis efficiunt, & per unicum speciem representantur. Ita D. Thom. quodlibet 7. a. 2. ad 1. ubi haec scribit: *Sensus communis quatenus sit una potentia secundum essentiam, tam aliquo modo multiplicatur secundum esse in quantum conjungitur diversis sensibus propriis; sicut unum centrum conjungitur pluribus lineis: unde immutationes omnium sensibilibus simul terminantur ad sensum commune; sicut motus qui est per omnes lineas, potest simul terminari ad centrum. Sed intellectus non multiplicatur modo praedicto in plures potentias, & ideo non est simile.* Alia etiam inter intellectum & sensum tam externum quam internum reperitur differentia: nam sensus est potentia organica, & ideo potest in diversis partibus organi diversas sensationes elicere; quod non potest intellectus, quia est potentia inorganica & indivisibilis. Unde secundo responderi potest, dato antecedente, negando consequentem & paritatem.

18 Obijcies tertio: Plures simul dantur species intelligibiles in intellectu tum humano, tum angelico, non coordinatae inter se; seu non ordinatae ad representandum unum, sed representantes plura ut plura: Quidni ergo in illo simul esse poterunt plures intellectiones & species expressae, quibus plura ut plura cognoscantur?

19 Respondeo rationem disparitatis esse quia species intelligibiles ex parte principii intellectivi se tenent, & se ha-

berent per modum principii & concausae intellectiones: intellectio autem & species expressa sunt ultimus terminus, & ultima actualitas potentiae intellectivae, ut patet ex supra dictis: licet autem eisdem possint dari plura principia partialia, & plures formae & virtutes idem principium totale complectens; repugnat tamen eandem rem habere plures ultimas actualitates, pluresque terminos ejusdem rationis, & non subordinatos, ut supra ostendimus.

ARTICULUS II.

Utrum in Angelis possit esse discursus?

§. I.

Quibusdam praemissa conclusio negativa statuitur.

Sicut in 2. dist. 7. qu. 1. admittit in Ang. discursum, 20 tam circa naturalia quam circa supernaturalia. Et sicut Molina in praesenti, dicens quod Ang. discurret per accidens circa objecta, Suarez vero lib. 2. de Ang. c. 33. docet Ang. posse discurrere circa supernaturalia, & circa naturalia quae non possunt cognoscere evidenter, qualia sunt futura contingencia, & cognitiones cordis. E contra D. Thom. & ejus Discipuli omnem proffus Angelis denegant discursum, tam actuale quam possibile, & circa res tam naturales quam supernaturales; tam circa ea quae evidenter cognoscuntur, quam circa ea quae conjecturaliter solum intelliguntur. Pro cuius sententiae declaratione, duo praemittenda sunt.

In primis cum eodem S. Doct. supra q. 14. a. 7. observandum est, discursus esse discursum; unum in proprium, qui dicit tantum successione actuum se consequentium absque illatione; ut quando intellectus intelligit hoc post hoc: alterum proprium, qui non solum successione sed etiam causalitate inter actus importat, ita ut prior causet & inferat posteriolem. De primo non est difficultas in praesenti, quia manifestum est illum reperiri in Ang. cum enim non sit actus parus, nec in esse intelligibili, nec in esse naturali, sicut Deus, omnia unico actu intelligere nequit: sed pluralitate actuum sibi succedentium indiget. Unde solum hic agimus de secundo discursu.

Supponendum est etiam, ad verum & proprium discursum non sufficere quod unum objectum sit ratio cognoscendi aliud: alias scientia Dei & visio beatifica essent discursivae; cum essentia divina sit ipsi Deo & beatis ratio cognoscendi creaturas: potentia etiam visiva esset discursiva, cum lumen sit illi ratio videndi colores, ut docent Adversarii. Verus ergo & proprius discursus duas necessario requirit condiciones: prima est distinctio actuum, quae fit realis, si discursus sit formalis: secunda est, quod sit illatio & vera causalitas inter actus, ita ut prior causet & inferat posteriolem, quod accidit, quando intellectus intelligit hoc ex hoc, sive quando ex uno prius cognito devenit in cognitionem alterius posterioris cogniti: haec tamen prioritas & posterioritas non est semper duratensis, sed saepe est prioritas naturae & rationis.

Quod confirmatur ex motu corporum, per analogiam 23 ad quem dicitur motus seu discursus intellectualis: tunc enim est proprie motus seu discursus corporalis, quando corpus non solum attingit successive medium, & postea finem, sed etiam attingit finem per medium, ita quod attingentia media fit causa perducens illud ad attingendum finem. Ex quo intelligitur, magnam esse differentiam inter haec tria: videre aliquid in alio, videre post aliud, & videre ex alio. Deus enim videt omnia in seipso, non tamen post aliud; aut ex alio: Angeli vident unum post aliud, non tamen ex alio, ut infra patebit: homines vero vident unum post aliud, & ex alio. Videre in alio denotat omnimodam similitudinem ex parte actus, & prioritatem ac posterioritatem seu dependentiam inter objecta, ita ut unum sit ratio cognoscendi aliud. Videre post aliud, dicit successione ex parte actuum, absque causalitate & dependentiam unius ab altero. Videre autem ex alio, non solum distinctionem actuum, sed etiam causalitatem & dependentiam unius ab altero importat. His praemissis, pro resolutione difficultatis propositae

Dico, in Angelis nec dari, nec esse posse discursum 24 proprie dictum. Ita D. Thomas qu. 8. de verit. artic. 15. sic dicens: *Sicut nec sine discursu principia cognoscimus simpliciter intuitu, ita & Angeli omnia quae cognoscuntur; unde & intellectuales dicuntur, & habitus principiorum in nobis dicitur intellectus.* Et 1. 2. qu. 89. artic. 4. intellectus Angeli, inquit, non est discursivus ne scilicet procedat a principii ad conclusionem, sicut utrumque intelligens, sicut in nobis contingit. Unde oportet, quod quodcumque considerat conclusionem, consideret eam prout sunt in principii. Idem docet ex professo hic art. 3. & probat in argumento sed contra ex Dionysio cap. 7. de divinis nominibus, dicens Angelos non congregare divinum cognitionem a sermonibus diffusis, id est discursibus & sermonibus mentalibus. In corpore vero articuli probat duplici ratione.

Prima sumitur ex comparatione proportionali spirituum 25 ad corpora; sic enim comparatur angelici spiritus ad humanos

manos in acquirendo suam perfectionem, sicut corpora caelestia ad terrestria. Quodammodo igitur inter naturas corporeas supremum locum obtinent caeli, ita inter naturas spirituales principatum tenent Angeli: Atqui corpora caelestia in hoc differunt a terrenis, quod haec per modum valde imperfectum (augmentationis scilicet & alterationis) perfectionem suam adipiscuntur; illi vero sine motu (saltem imperfecto, sed ad summum perfectissimum inter corporeas, & valde elevato, scilicet locali) suam habent perfectionem: Ergo in ordine ad cognitionem veritatis, quae est perfectio naturae spiritualis, discursus (qui est motus quidam spiritualis omnium qui reperiri possunt in linea intellectuali imperfectissimum locum habet quidem in hominibus, qui sunt substantiae spirituales, terrestres, & inferiores, non tamen in Angelis, qui sunt spiritus caelestes, & supremi in ordine intelligibili creato, sed ad summum poterunt moveri motu intellectuali communiter dicto, qualis est pura & simplex apprehensio sine discursu.

36 Vis hujus rationis innititur huic principio. Quae sunt perfecta in aliquo genere, non debent acquirere suam perfectionem eo modo, quo illa quae sunt imperfecta in eodem ordine; unde caelum non acquirit suam perfectionem per modum alterationis & augmentationis, sicut corpora inferiora: Cum ergo Angelus sit perfectus in ordine intellectuali, non debet acquirere suam perfectionem per motum discursivum, eodem quo intellectus humanus, qui infimum tenet locum in eodem genere.

Secunda ratio D. Thom. sic potest proponi. Ibi non est discursus formalis & proprie dictus, ubi non sunt plures cognitiones realiter distinctae, quarum una causatur ex alia: Sed tales cognitiones non sunt in Angelis: Ergo illis discursus formalis & proprius non convenit. Major patet ex secunda suppositione, Minor vero suadetur. In illis non reperitur ordo ille cognitionum, qui visis principii, simpliciter quodam intuitu, ex vi cognitionis principiorum, statim conclusiones ipsas intelligunt: Sed Angelus hoc facit: Ergo in eo ordo ille cognitionum, quarum una causatur ab alia, non reperitur. Major est certa: ideo siquidem in cognitione conclusionum utitur discursu, quia non statim ex vi visiois principiorum eas intelligimus. Minor vero probatur: Nam in nobis ex imperfectione & debilitate luminis intellectualis provenit, quod non statim ex vivisionis principiorum intuemur conclusiones in ipsis contentas: Ergo cum e contra Angelus habeat perfectum & forte lumen intellectuale, visis principii, in ipsis absque nova cognitione intuetur conclusiones. Unde Angeli communiter dicuntur intelligentes; homines vero rationales appellatur; quia illi ratiocinando ad cognitionem veritatis perveniunt; Angeli vero per simplicem intuitum vident conclusiones in principii, & effectus in causis.

27 Dices primo cum Molina, hac ratione D. Thomae recte quidem concludi, quod Angelus non debeat necessario uti discursu; cum hoc tamen stare, quod per accidens ex sua libertate possit illo uti: quia licet visus principii, possit in eis eodem intuitu videre conclusiones, potest tamen pro sua libertate, videndo principia, ibi sistere, & statim per aliam cognitionem deducere conclusiones in illis principii contentas. Quod maxime verificatur in doctrina Thomistarum, qui docent quomolibet Angelum posse pro sua libertate uti inadaequatae quilibet sua specie, ad unum objectum inadaequatum ipsis cognoscendum: ex hoc enim sequitur manifeste, quod ex uno objecto partiali suae speciei prius cognito, possit procedere ad aliud objectum partiale ejusdem speciei cognoscendum, subindeque discurrere.

28 Sed contra primo: Quod est proprium homini, nequit ullo pacto convenire Angelo: Sed ratiocinari & discurrere est proprietas hominis, sicut esse rationale & discursivum est ipsius essentia: Ergo discursus & ratiocinatio, nec per se, nec per accidens potest Angelo convenire, sicut nec magister equo, nec latrator bovi. Nec obstat quod D. Gregorius homil. 10. in Evang. appellat Angelum, animal rationale: sicut nec quod dicit Damascenus lib. 2. fidei c. 3. nimirum, quod natura Angeli rationalis est, & libera potestate arbitrii sui. Nam ut ait D. Thomas supra quaestione 51. art. 1. ad 2. Gregorius metaphorice tantum nominat Angelum rationale animal, propter similitudinem rationis; Damascenus vero rationale pro intellectuali, non pro discursivo usurpat: sicut Verbum Divinum in scriptura alogos seu ratio Patris id est ejus sapientis & intelligentia nuncupatur. Unde Justinus Martyr, referente Baronio, initio historiae Ecclesiasticae: ait Christianos esse nominandos, quos quot & gentibus, licet adventum Christi praesentissent, cum ratione vixerunt, quia nimirum Christus est ratio & sapientia aeterna.

29 Secundo magis impugnat haec Molinae responsio: Angelus non potest pro sua libertate immutare modum naturalem suae cognitionis; utpote qui non subditur ipsius libertati, sed ex natura sua ei convenit; cognoscere autem conclusiones, simul intuetum earum principia, absque illatione unius ex alio, est modus cognoscendi ei maxime conaturalis, quia ipsum exigit natura angelica, ratione suae per-

fectionis & excessus supra naturas intellectuales inferiores, Unde (ut respondeatur ad id quod additur de doctrina Thomistarum) licet possit Angelus, utendo inadaequata aliqua ex suis speciebus, solum in ipsa intueri principium, & ibi sistere: cum tamen postea utendo eadem specie, vult in ipsa intueri conclusionem, nequit id facere, ex illa priori cognitione deducendo aliam; sed ea omittit, debet talem elicere cognitionem, per quam simul intuetur principium & conclusionem: quia (ut jam ostendimus) hoc exigit naturalis ejus modus cognoscendi.

30 Dices secundo cum Suarez, hac ratione D. Thomae ad summum concludi, quod Angelus non possit discurrere circa objecta naturalia; subindeque cum ipsa adhuc sit, quod utatur discursu circa supernaturalia; cum circa ea non habeat ex se lumen perfectum, sed ad summum potentiam obedientialem.

Sed contra: Sicut gratia non deprimit naturam ad ordinem inferiorem, quia de se est immaterialior & elevatior quam natura, ita cognitio supernaturalis, quae est aliquid Angelo gratuitum, non deprimit modum intelligendi ipsi connaturalem, sed potius ipsum perficit & elevat: Ergo Angelus cognoscendo supernaturalia, non deprimitur ad modum cognoscendi suae naturae inferioriorem, qualis est modus cognoscendi per discursum; sed relinquatur cum modo intelligendi sibi connaturalis, solumque cum eo elevatur ad altiorum ordinem.

Adde quod, lumen supernaturale de se non est discursivum, ut testatur D. Thom. 2. 2. q. 9. art. 1. ad 1. sed solum ex parte subjecti, quando scilicet est in subiecto ex se discursivo: Ergo cum Angelus, qui est subiectum talis luminis, in ordine ad cognitionem supernaturalem, ex se five ex sua natura non sit discursivus, non recipit tale lumen ut discursivum, subindeque non discurret circa supernaturalia.

31 Confirmatur: In hoc principio, Christus est homo, continetur necessario hac conclusio, Christus est risibile: Ergo sicut lumine naturae Angelus uno & indivisibili actu cognoscit Petrum esse hominem, & esse risibilem, ut testatur Suarez; ita lumine supernaturali fidei, unico & simplicissimo actu, illas duas propositiones simul attingit, & unico intuitu in hoc principio, Christus est homo, videt illum esse risibilem.

Ex quibus patet, quod non solum de facto Angelus non discurret, sed etiam quod nullo modo fit possibile ipsum discurrere, five per se, five per accidens, five circa naturalia, five circa supernaturalia. Sicut enim intellectus hominis, quantumcumque imperfecte se habeat in aliqua cognitione, nunquam deicitur ad hoc ut modo brutali cogitaret, nempe per instinctum & determinationem, non vero per arbitrium & discursum: ita Angelus quomodocumque cognoscit supernaturalia, futura contingencia, cognitiones cordis, & alia ejusmodi, nunquam tamen in modo cognoscendi ad hoc deprimitur, ut ea sicut homo per discursum proprie dictum intelligat.

§. II.

Principis objectiones solvuntur.

Obijcies primo: illud agens intellectualem est proprie 32 discursivum, etiam circa naturalia, quod habet distinctas de illis cognitiones, quarum una causatur ex alia: Sed Angelus ita se habet. Ergo discursivus est. Major constat ex suppositione ab initio facta. Minor vero probatur: Nam ex una parte Angelus ex cognitione sui cognoscit Deum, & ex cognitione causae naturalis intelligit illius effectus, ex alia vero parte iste cognoscens sunt distinctae & diversae, quia (inquit Molina) una est intuitiva, nempe cognitio quam habet Angelus de seipso, & illa quam habet de causa naturali; alia vero abstractiva, scilicet cognitio quam habet de Deo, ex cognitione sui, & cognitio effectus quam ex cognitione causae naturalis deducit: Ergo, &c.

33 Confirmatur: Angelus habet diversas & distinctas volitiones, quarum una causatur ex alia; nam ex intentione finis, eligit media; & ex dilectione sui necessaria, libere diligit alia a se: Ergo similiter potest habere diversas cognitiones, quarum una causatur ex alia.

34 Respondeo ad objectionem, negando Minorem. Ad cuius probationem, concessa prima parte illius, nego secundam, quod scilicet cognitio illa quam habet Angelus de Deo, ex cognitione sui, fit distincta a cognitione suae essentiae; & similiter quod cognitio effectuum quam habet ex cognitione causae naturalis ipsorum, fit formaliter diversa a cognitione talis causae. Ad probationem subjunctam in contrarium: quia convincitur Molina ad concedendum Angelis discursum proprie sumptum, dico unam eandemque notitiam posse esse respectu diversorum objectorum intuitivam simul & abstractivam; ut constat in visione Beata, quae unica numero existens in quolibet beato, est intuitiva Dei & creaturarum existentium, abstractiva vero respectu possibilem: unde non est mirum quod eadem cognitione, qua Angelus suam essentiam intuitivae intelligit, Deum



Deum abstractivè cognoscit; & eadem notitia, qua in-

35 Ad confirmationem, dato Antecedente, nego Consequen-

36 Obijces secundo: In Angelis datur virtus bene confi-

37 Respondeo inquisitionem & discursum non requiri per

Ad illud quod subjungitur de scientia, dicendum est im-

38 Obijces tertio cum Suarez: Elio Angeli non discurrant

mul evidentem & obscurum, certum & opinativum, ne-

Respondeo approbando contrarium inter arguendum

§. III.

Corollaria notata digna.

EX dictis in hoc articulo habes primo resolutionem al-

Dices primo: Intellectus Angelicus interdum utitur plu-

Respondeo primo negando Antecedens: quia ad propo-

Respondeo secundo, dato Antecedente negando Conse-

Dices secundo: Angelus interdum attribuit subjecto ordi-

Respondeo non repugnare quod eodem conceptu intelli-

Dices tertio: Veritas & falsitas non reperiuntur in sim-

Respondeo distinguendo Majorem: non sunt nisi in com-

DISPUTATIO XI.

De dilectione Angelorum.

Ad questionem 60. Divi Thomæ.

Abolatis his quæ ad intellectum Angeli pertinent, or-

ARTICULUS UNICUS.

An amor, quo Angelus seipsum & Deum naturaliter diligit,

Certum & indubitatum est apud Theologos, Angelum r

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico breviter, Angelum seipsum, & Deum ut aucto-

Probatur prima pars ratione fundamentali: Angelus co-

Addo quod ex naturali cognitione, qua Ang. se & omnes

Probatur secundo eadem prima pars, ratione quam in-

Ex his probata manet secunda pars conclusionis. Nam

tionis & divisioni: & ideo in illa veritas aut falsitas re-

43 Ex dictis etiam colliges plures prerogativas & excel-

44 Deinde, Scientia Angelorum semper est in aliquo actu

45 Præterea Ang. non discurrit, nec componendo vel di-

46 Denique in Ang. duplex solet distingui cognitio, ma-

47 Denique in Ang. duplex solet distingui cognitio, ma-